STEPHAN
US J.
DE
PESTE

1624







SVMMA PRÆCAVTIONIS RATIO

Pestiferæ Contagionis,

Ac primum de Contagionis Natura

AVCTORE


IOANNE STEPHANO

Bellunensi Medico.



VENETIIS, MDCXXIIII

Apud Euangelistam Deuch.



MICHAELI FOSCARENO

amplissimo, ac sapientissimo Senatori

IOANNES STEPHANVS foelicitatem.

DIV ipsemet mecum cogitaui amplißime vir, quonam pacto propensæ erga te meæ voluntatis, & obseruantiæ specimen aliquod, & testimonium præmeferrem,

rem, cumq; nihil ſubiret, peſtis tandem, quæ nunc finitimas ForoIulio diuexat, deuaſtatq; oras, nouiſsimus rumor anſam præbuit, & incitamentum, vt de contagione animum ad ſcribendum appellerem, quam me hercle prouinciam eò libentiùs ſuſcepi, quòd te apud Turcas Byzantij, vbi vernacula quædam peſtilentiuncula ſæuit (reliquias crediderim illius, quæ Leone Iſauro imperante tanta debacchata eſt clade, vt tercenta, & amplius Ci-

uium

uium millia absumpserit)
Legatum acturum esse certò sciebam: Quamobrem, vt summam qnandam declinandi, & precauendi inhumanum hunc humanæ naturæ hostem sub manu haberes, ipse Zeuzidis exemplum quadantenus imitatus, qui in effingenda Crotoniatis Helena plurimarũ Virginum speciem, & singularem pulchritudinem in eius simulachrum transtulit, potioribus lectis negotiũ perstringere, & summa sequi fastigia rerum decreui,

ſat enim pauca ſapienti. At verò ſontica præſentis ſæculi peruerſitas, vt cęptis deſiſterem, ſedulò hortabatur, cum maximè actum agere viderer, ac reuera quã mox temperaſſem, neq; dilacerandum me, & veluti rediuiuum Hippolytum diſcerpẽdũ Cynicis exhibuiſſem, quibus nihil prius, aut potius in votis eſt, quàm Theonino dẽte obuiã quodque impetere, ac honeſtum dehoneſtare, niſi ſumma uiri auctoritas in mẽtem veniſset, & amplitudo, quæ

me

me in spem erexit futurum, ut malè feriati isti tenebriones, veluti Hyenæ umbra perculsi obmutescere, & Pythagoræ discipulos inuiti agere cogantur. Quare vltimam operi manum imposui, imprimiq; siui quasi persoluturus, quæ tibi nuncuparā vota. Quis verò non immemor Theoclis sententiæ Orchonianiorum Regis, qui dum prima Gratiarum tēpla extrueret, dixisse fertur, neminem in erogandis donis, aut Superis venerandis sine auri, & argenti, ac mul-

multarum rerum copia suo posse fungi officio, iure uidebitur me impudentiæ insimulare posse, qui qualecumque munusculum tanto uiro offerre ausus sim, cuius laudes, & eximias virtutes qui volet numerando percensere.

Lybici volet æquoris idem
Dicere quàm multæ zephyro turbentur arenæ,
Aut vbi nauigijs violentior incidit Eurus
Nosse, quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Verumtamen, vt Dÿ ipsi susq; deq; minùs habent, nec dedignantur, si in Templis

plis

plis vel vnius teruntij donaria ſibi appẽdantur, quia nimirum cor norunt, et immenſam reſpiciunt voluntatem, ita porrò nunc euenturum pro tua ſingulari bonitate, & animi magnitudine confiſus ſum, egregiè namq; magnus ille Perſarum Rex Xerſes non minus baſylicũ eſſe exiſtimauit, læto, elatoque animo puſilla dona accipere, quàm maxima elargiri. Quòd ſi votis reſponderit euẽtus & pręcoces ingenij mei fructus (et ſi acerbiuſculi) haud omni-

no insipidos tibi vir sapientissimæ visos fuiße presensero, abs te gratiã, quæ mihi omnis instar est Arabum gazæ, iniiße, & operam minimè sumpsisse existimabo.


Te Patriæ, patriamq; tibi per sæcla vicissim
Cœli Toparcha sospitet.



SVMMA PRÆCAVTIONIS RATIO

Peſtiferæ Contagionis,

Ac primùm de Contagionis Natura.



SApienter Plato, ſi quid aliud ſcripſit, in omnibus vnicũ principium eſſe ijs, qui benè conſulere volunt, intelligere, quid illud ſit, de quo

edisseritur, consultaturque, id quod nulla ratione commodiùs fieri posse iudicauit, quàm cum singula definiũtur, quippe hoc est, ait, optimum initium, & fundamentũ diluẽdarũ quæstionum omnium, cum in quaq; re exquirenda, a quęsita rei natura, quę finitione exprimitur, inchoandum sit.

Proinde cum arduã, & multis difficultatũ inuolucris oppressã quęstionẽ aggressi simus, quo sci-

ſcilicet pacto cõtagium fiat, quæ illius cauſa, & ſcaturigo; a finitione, quæ rei naturam è latebris in apertum, quàm eius patitur ratio, manu ducat, auſpicari operæpretium eſſe exiſtimaui. Verùm animi vehementer pendeo, cui me præbeam applauſorem, & aſſeclam, cum multifariã pro cuiuſq; ſententia terminetur contagio. Sũt, qui duorũ, aut plurium contactum deſcribũt, cuius ratione ſimi-

lis gignitur morbus. Sũt qui affectionem præter naturam, quæ alteri corpori a corpore ſimiliter affecto communicatur, aut ſeminiorum a corpore præter naturam affecto in aliud corpus tranſitum. Alij contactum communicabilem, ſeu qualitatẽ ab vno in aliũ trãfuſam, quæ pluribus alijs impertiri poteſt. Alij denique impreſſionẽ qualitatis præter naturã ab oppoſito in oppoſitum pertranſeũtis,

quæ

quæ ſanè definitio, ni metaphorico genere cõſtaret, præ cæteris mihi probaretur. Dicamus igitur eſſe morbidæ, & cõmunicabilis qualitatis in corpus humanum actionem præualidã congeneris morbi procreatricem. Hæc profectò cõtagij naturam mihi ſatis exprimere videtur, quãquam dilucidam ſingularum partium rationẽ penitiſſimè latere ſcio, vt propterea oppidò verear, ne mihi illud Hippocra-

pocratis Diuinũ implorandum sit. Cæterùm cum ex summis decem rerũ generibus duo duntaxat sint, a quibus primùm vis omnis, & actio promanat, Substantia, seu Forma, Physica, aut Metaphys. (Mathematica, quidquid Pythagorici, & Platonici dicant, nõ facit, sed facilitat motum) & Qualitas, cui cõtagis causam acceptam tulimus, cumq; hęc duũ sit generum, corporea quędam, alia spiritualis,
cui-

cuipiam hærere poſſit aqua, quam velimus.

Norit itaque nequaquam nos incorpoream intelligere, ſed materiatam illam, & manifeſtã, reclamante Ioanne Fernelio acerrimi ingenij viro, & omnis cultioris litteraturę Protomyſte, qui occultam, & a totius ſubſtantiæ proprietate profectam qualitaté arbitratus eſt, eamq; non ſecus inficere, aut officere, ac Torpedo Piſcatoris manum.

Qui

Quì enim aliter ſiat, inquit, cum non omnes pereq; corripiat animã-tes, ſed ſua ſingulis de-ſinita ſit cõtagio? Quẽ-admodum quædã ſunt venena, quæ occultas cũ certis corporis partibus exercent inimicitias, vt Solanum Maniacum, & Hyoſcyamus cum cere-bro, Lepus marinus cũ pulmonibus Aſpis cũ Ie cinore, cãtharides cum veſica, ita extãt cõtagia quædam, quibus de ſini-te hoc animantis genus ſub-

ſubijcitur non aliud. .

Quàm multæ Pecudum peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt.

Quòd ſi a putredine ortum duceret, nullũ, inquit, animal, labem ſubterfugere poſſet, ſed Homini, Equo, Boui communis foret. Bellũ argumẽtum certè, quaſi verò præter vim agentis non deſideretur patientis aptitudo, & vti putredinis, ita peſtiferæ contagionis non ſint certi gradus, & modi, propter quos hoc potiùs, quàm

quàm aliud animantis genus ſuccumbit. Mitto ſolis corporeis, primiſq; qualitatibus vim ſimilis genitiuam inditam eſſe, ſpiritualibus, & ſpecificis non niſi ex euentu.

Ab illis igitur ſimus, qui in meliori ſchola inſtituti vnicam contagionis cauſam eſſe ſtatuũt, nempe putredinem, eãque non vulgarem quidem, ſed ſummã, quęq; eum malitiæ gradũ ſortita ſit, vt veneni vim, & effectus quodammodo pro-

proferat. Propterea ſcri
pſit Gal. calorem febris
peſtilentis, quæ inter cõ
tagioſos morbos perni-
tioſiſſima eſt, ab aliarũ
calore ob putredinis ex-
cellẽtiam differre. Hinc
ſolertiſſimus Fracaſto-
rius contagium putrefa
ctionem ab vno in aliũ
tranſeuntem finiuit; cu-
ius teſtatæ ſubſunt cau-
ſæ, alieni quippe caloris
copia, interni, connati-
que penuria, & ſuperua-
cua humiditas, illi parẽ-
tes ſunt, hæc mater pu-
tre-

tredinis. Missa igitur illa acatalepsia istorũ vestigijs insistere consultius est, ne in incertum feratur medentis consilium, neve Andabatarũ more aduersum additã causam pugnemus: Incerta quippe, & irrita medicatio (vel ipso con fitente Fernelio) nõ nisi dispendio decernitur. Scitum est illud Herophili, oportere Medicũ, quæ, qualis, & quãta sit causam morbi nouisse priùs, quã de remedio co

gi-

gitet, quomodo vero cognoſcas, ſi ſit occulta? Attamē quia gradus ille, & modus putredinis certò definiri nō poteſt, cuipiam quodammodo reconditam cauſam àppellare ſit integrum.

Dicamus deinde duas eſſe contagionum omnium differentias, quarum vna ſolo mathematico attactu cominus inficit, altera, quia formalior, eminus, ad quā referre poſſis eam, quę per fomitem labem inurit.

Atqui dicet quiſpiam, quomodo eminus afficit, corripitq; , ſi cõtagij genus actio eſt, quæ non niſi cõtactu abſoluitur? Hoc ferat reſponſum, ſeminaria, quæ morbidas excretiones Hippocrates vocat, per aëra diffundi, & quoquo versũ ferri, vt etiamnum lõgè diſſitis præſentia ſint, præſertim ſi per ventos inuehantur, quæ ſubinde particulam, qua cum analogia intercedit, & ſchesis, impetunt, atque con-

conuellunt, quo pacto tersum speculum a muliere, cui mẽstrua abeãt, inquinari notauit Aristoteles. Sunt nihilominus quædam opera, quæ physico duntaxat tactu, sunt, quę sola fiunt energia, scheticòs, non hecticòs, quæ quoniam ad rem nostram minùs faciunt, omittuntur.

Impræsentiarum de Peste, cui inter cõtagiosos affectus primæ deferuntur, obiter, & per trãsennam, non enim pro-

positi nostri est singula minutis punctis colligere, sed summa sequi fastigia rerum) verba facere constitui. Verùm mihi in limite primo non sine grauissimæ difficultatis turbine, quem nescio, an sustinendo sim citra, quàm me trāsuersum agat, remeligo obijcitur.

Antiqui illi, primiq; Medicinæ Parētes Hyppocratem dico, & Galenum, Pestem absq; febre agnouisse vidētur, cum tamen

tamẽ illi ipsi pestẽ quàm
acutissimum morbũ pa-
lam fassi sint, à quo dis-
sociari, diuelliq; nõ pos
se febrem. Quì fit igitur?
Pestẽ, qui venenatæ col-
luuiei sobolẽ esse decer-
nunt, hunc nodum nul-
lo dissoluunt negotio,
seq; à labyrintho expe-
diunt; Huiusmodi enim
primò corrumpunt sine
vlla putrefactionis ne-
cessaria antecessione, aut
cõsecutione. Cęteri qui-
dem Veterum sensa nõ
audent, quia nõ capiũt,

carpere, ſed ita ſe rem habere aiunt: Febrẽ ſemper neceſſariò ſubeſſe, atqui nonnunquã vſque adeò latentẽ, vix vt percipi, dignoſciue poſſit, aut certè indigna ſit, cuius mentionem, aut rationem ad cætera truculenta, & pernicioſa ſymptomata habeamus. In hoc cenſu eſt Argenterius, quẽ quia iactis fundamentis conſenſit, conſequor.

Riolanus tantũ abeſt, vt peſtem citra febrem

adoriri posse existima-
rit, cũ eam potius finie-
rit febrem epidemiam
contagione deleteriam,
Galeno finitur morbus,
qui in omnes, aut pluri-
mos grassatur ab aeris
corruptione proueniẽs,
quo fit vt quàm plurimi
intereãt. Pestem igitur,
quo nominc epidemia,
cõmunem causam agno
scere par est: At qui cum
duæ ab Hippocrate sta-
tuantur præcipuæ mor-
borum causæ, aer, & ali-
mentũ, hocq; vt cuiusq;

ſuum eſt, & peculiare, ita ſingulares, & diſperſos morbos gignat, quos ſporadicos appellãt, ille verò patens, cõmuniſq; omnibus, & neceſſariò inſpirãdus, reliquũ eſt, vt à ſolo aere cauſa repetẽda ſit. Ceterùm duplici nomine aer morborũ cauſa perhibetur, primariæ ſcil. qualitatis exceſſu, & maiori quadam labe, nempe putredine, (quanquam me minùs fugit, quoſdam eſſe, qui aerem, cæteraq; elemẽta
non

non aliter puteſcere, quàm receſſu à ſibi debita temperie, mordicus contendũt, id enim ſibi velle Ariſtotelem exiſtimarunt, vbi eleméta ex parte modo putrefieri ſcripſit.) Vt vt ſit, vtri potiùs Peſtis cauſam acceptam referas, intemperatone, an putrido? Putrido ſanè, etenim aer vehemẽter intemperatus, vtpotè calidus, aut humidus vltra modum naturæ ſuæ congruentem, erit quidem paratis cor-

poribus morborum cau ſa, hinc tamen oriundi mitiores erũt peſte. Verùm Philoſophus Minoribus dubitandi anſam reliquit, nũquid aer putredini ſubijciatur, cum in Problematis cuncta ignem præter, & aerem putreſcere dixerit? Reſpondẽdum tamen vnà cum Auic. & Cõciliatore omnia elemẽta, dum integram ſeruant naturã, & puritatem, eſſe imputreſcibilia, commixta verò, & inquinata facilè

cilè putreſcere: Quò Meteorωn. 4. reſpexit, vbi ſolum ignem à putredine vindicauit, cum nullius Heterogenei patiatur admixtionem. Putreſcit igitur aer prauis inquinamentis, & vaporibus inſperſus, præſertim ſi à ventis ſileat,

Sic vitiũ capiunt, ni mouẽtur aquæ.

Labem quoq; ex praua ſyderum conſtitutione, & influxu contrahit, in quem omnẽ cauſam reijcit Fernelius. Grauis, inquit, eſt illorum ſtupi-

ditas, qui præter lumen, & calorẽ ab astris nihil deriuari huc autumant, nam si benè constituta mortalibus vitã largiuntur, quid ni noxam malè constituta?

Cui Riolanus pluribus obnititur, & refragatur. dicẽs. Quod verò primã causam pestis repetat à maligno cœlorum influxu, non æquè patienter ferent Peripatetici: Qua de re, vt constet amplius à primo fõte tota disputatio repetenda. Aristoteli

teli cœlum videtur agere in hæc inferiora, vt catholica causa, atqui astrorũ benigni, aut maligni influxus sunt præcipuæ causæ: Non est dubium cœlum moueri potissimùm ad vsum hominis, si à natura, an ab anima, nõ est huius loci curiosius perquirere. Ideo enim astra videntur moueri à natura, quòd suos motus nõ potiùs sistere possunt, quãdo volunt, quàm elementa, & quòd singulorum sit vnus, &

ſimplex motus; cum animalia ſecundum omnes loci differẽtias pro arbitrio moueantur. Verùm faciamus ea intelligere quid agant, & quò mouentur, moueri a voluntate, nõ a natura, aſſiſtẽtem habere Intelligentiam, nõ informantem, quia nobis mouẽtur, nõ ſibi, ſuo motu perficiũt mundum ſublunarem, ipſamet non perficiuntur. Cur ſtato tempore ſuum virus vomunt in animalium perniciem?

De

De Dijs quæso meliora. Boni enim est prodesse, non nocere: Si in scelerũ vindictam, cur sine delectu tam boni, quàm mali, sontes, quàm insontes puniũtur? Cur à ventis seminaria contagionis huc, & illuc promiscuè importantur? Verumtamẽ esto inscrutabile cõsilium Dei Deorum, cuius Ministri sunt isti Deunculi, habẽtne venenũ, quod veluti Iouis fulmẽ in nos iaculentur? Possũt ne infectiones pesti-

lentes

lentes in cęlo ſubſiſtere, vbi nil niſi purum, lucidum, perfectum? Si motu, & lumine aſtra ſufficienter regunt orbem, quorſum particulares influxus? Motu non aliter fit, & conſeruatur calor cœleſtis, quàm natiuus exercitio, nam ſi motus in animali calorem ſeruat, primum calorẽ primo motu cõſeruari probabilius eſt. Primus calor eſt cęleſtis, primus motus conuerſio, itaque cęlorum vertigine excitatur

tatur

tatur ca'or, qui Peripateticorum opinione influit in noſtratem mundum vehiculo luminis, qui quidẽ ſi ſufficiat generandis, & conſeruandis mixtis, ad quid benignæ, & malignę conſtel ationes? Stellarũ radij ctus ſunt quidam vitaes tamquam ex Argi oculis emicantes; qui non potiùs inter ſe ſe miſcen ur, quàm animaliũ mul orum ſe ſe inuicem aſpi iẽtium radij. Itaq; pro vario aſpectu tam diffe-

rentes

rẽtes effectus hic produci, quis credat? Vt ſol certa aeris cõſtitutione, cuius ipſe eſt auctor, certi generis animalcula producit: Hoc cęlũ culicũ, aut muſcarum, illud ſcarabæorum, aut locuſtarum incredibilem multitudinẽ profert, a quibus multas gentes, & nobiles ciuitates deletas mõſtrat Plinius, eadem vi cur non imprimit aeri malignam qualitatẽ peſtilẽtium morborum procreatricem? Nonne

ſol

ol eſt parens venenorũ, uemadmodum alimen orum, & medicamẽto- um? Hactenus. At heus bone itane Ciui tuo ſper es, & refractarius? iccine actutũ te ipſum eſertum is? In mentem euoca, quod ſenior, & ſu rerum peritior quaſi pſa veritate impulſus pa am confeſſus es, aerem idelicet ex maligna a- trorum coniunctione, x influxu corrumpi, at- ue ſubinde peſtem ſu- citari, cauſam adijciẽs,

quod

quod alioquin præuide-
ri, & prædici ab Aſtrolo
gis non poſſet; Conſid
ra, quęſo te ꝑ ſacras Mu
ſas, illam ſtellarum mul
titudinem, & varietatē
quam fruſtra certè, non
condidit opifex, ſed ali
cuius gratia, hinc fort
palinodiam canere non
pigebit; Concludamus
ergo ex praua ſyderum
cõiunctione, & influx
corrumpi aerem, ſitum
que concipere; non is t
mē ſum, qui credam, p
ſtilens aliquod effluuii

linc emanare, ſed ita ae-
em affici, vt inde exorta
ualitas hominibus ſit
nfenſa.

Quæri ſolet, cur aeris
orruptela adeò diras,
z immanes ęgritudines
ōmittat? An quia analo
iam habet ad ſpiritus,
z tenues humores, ex
uibus acutiſsimi emer-
unt morbi? An potiùs
uia quò q̄d perfectius
ſt, dum integrā ſeruat
aturam, eò fit deterius
um ab ea deſciuerit?
Aer aut ſincerus opti-
mum

mum quid eſt, & ſanita-
tis ſeruator, corruptus
peſtifer euadat, neceſſe
eſt, cum motus omnis a
contrario in cõtrarium
fiat, qua cauſa qui ſemel
ſe mutuò deperierunt, ſi
fortè amoris vinculum
diſſuatur, diſſoluaturq;
odio deinceps pluſquã
Vatiniano ſe proſequu-
tur. Sed ad rem. Infici-
tur aer etiam citra putre-
dinem a peſtiferis ſemi-
narijs, & effluuijs aliun
de profectis. Apud Se
leuciam Babiloniæ cum
Mar-

Marci Antonij milites auri ſpe potiundi Auidi Caſſij arculam aperuiſſent, inde tam putris aura exhalauit, vt non regionē modò infecerit, verùm in Græciam, & Romam delata magnã hominum partem ſuſtulerit. Ea porrò ſeminariia duplicis ſunt rationis, quædam enim compacta, & validiſſima mixtione tenentur, quocirca diu conſeruantur, & longè, latèq; pererrãt, quædam verò vti materiata

magis,

magis, ita nec latè diffunduntur aerem contaminantia, aut certè si dispergũtur, è vestigio vis omnis euanescit in auras, sed circa originem suam sæuiunt, & debacchãtur, modò circa amicula, amictusvè, maximè si visciditatem nacta fuerint, inhærescunt, diuque durant, quòd si quis vestem induat putrida illa, vdaq; colluuie imbutã, vt quoquo modo latentis seminij vis a calore nostro pro-
mo-

oueri possit, pedeten-
m in viscera gliscit, &
rima vitæ fundaméta,
lorem, & spiritus vita-
s gemina proprietate
uadit, atque dissoluit,
neque enim inficiandū
t virus sapere.)

Lætaturque homines di-
sperdere clade nefanda.

Byzantij pestem non
simile uigere audi-
imus, quæ ineũte æsta-
e potissimum incande-
cit, atque in uulgus nõ
ine miseranda pernicie
fferatur, quam mitem,

ma-

materiatamq; ſatis con
ijcimus, tum quod rigẽ
te, & æſtuante cęlo deli
teſcit, & penè ſopitur
tùm quia actuali conta
ctu ſerpit, & ſe ſe ꝓfer
in alterum. Verùm æde
pol hìc Amati in ment
uenit, qui Theſalonica
contra uſu uenire obſer
uauit, euaneſcere nimi
rum, dum Syrius ardet
ſub Ioue frigido, & ſæ
uiente hyeme graſſari
atque populari. Quæ tã
ti diſcriminis ratio? At
dicendum Theſalonica

b aeris æſtuoſi ſumma
fficacitate ſeminaria, &
utrida inquinamenta
bſumi, & veluti igne cō
eri, hyeme certa cœli
diuuāte conſtitutione
xcitari, & immenſa nō
imenſæ formæ vi per-
lere, Byzātij verò, quia
nateriata magis aeris v-
roque exceſſu domari?
Philoſophorum enim
oryphęus & frigore, &
alore facilè propulſari
oſſe putredinem exem
lis demonſtrauit. Ra-
ionem deriuat Saxonia

in qualitatem aeris ale-
xipharmacam ; vellem
dixiſſet peculiarem con-
ditionem . Atqui hæc
parerga.

Porrò vt Cacum hũc
immaniſſimum præca-
ueamus certis indicijs il-
lius aduentum prȩuide-
re oportet, quocirca hoc
iam perſtringamus ne-
gotium . Præcipua ſunt
ſigna, & cauſæ malefici
quidam ſyderum aſpe-
ctus, vt Martis, & Satur-
ni, quæ ratio mouit Rõ-
deletium, vt crederet pe-
ſtilen-

ilẽtes febres omnes ex
rabile ſuſcitari , cum
aturnus Melancholi-
rum morborum parẽs
erhibeatur; Aut aliorũ
lurium quorumuis Pla
etarum in vnum con-
entus , id quod Idib.
eptemb. acciſurum ad-
otarũt Aſtrologi, quo
mpore faxint Dij im-
ortales , ne quid miſe-
bile mortalibus eue-
iat. Ad hæc Cometæ,
alia ignea phaſmata
inſigni vliginoſarum
halationũ copia ſub-

orta, quæ a ſolis calore conteri, & confici nequeunt idem nobis prębent argumentum, pręſertim ſi ad Orientem non ad Polos vergant. Dubitat non abs re Coſtæus, quomodo igneæ impreſſiones futuræ peſtilentiæ poſſint eſſe indicia, quum contra potius immoderatæ ſiccitatis, & caloris vt Ariſt 1. Meteorωn teſtatur, ſigna ſint. Peſtilentem autem aerem reddunt imbecillus calor, & ſuper-

acua humiditas, quæ
c. aptam faciunt putre-
lini conſtitutionē. Pro-
ectò vbi multum in cau
æ inueſtigatione labo-
auit, ita ſe rem habere
ſtatuit. Exſiccant inquit
ob immodicam aeris ca
liditatem, ſiccitatemq;
lacus, maria, flumina,
fontes, ex quorū dein-
ceps limoſis alueis pra-
ui, & fœtidi halitus ex-
citari neceſſe eſt, ab his
aer corrumpitur, & eua-
dit peſtilens. Inſignis iti-
dem temporum muta-

 tio,

tio, quum tēperiem ſu[a]
non ſeruant; Nubilum
caliginoſumq. cœlum
Propterea lib. finit. me-
dic. peſtis dicitur verſu-
ra aeris, qua de re nec
ordinem proprium ſer-
uant anni tempora, &c
Auſtri, & Subſolani per-
ſeuerans imperium. Bel-
lum præterea luem an-
teire ſolet, ab inhuma-
tis enim cadaueribus te-
terrimi efferuntur vapo-
res æthera contemeran-
tes. Fames. Sic enim ada-
gio fertur, λοιμος μετα λίμο[ν]

Nar-

Narrat Plutarchus Iulij
Cęſaris exercitū annonę
penuria in peſtem inci-
diſſe, quę ſimul, ac in re-
gionem feracem pręſer-
tim vini appulit, diſpa-
ruit. In Æno propter v-
ſum hordei, & frumenti
obſoletorum idem con
tigit, in caritate namq;
cacochymis alimonijs
veſci cogimur. Atqui
ſciendum eſt, hinc mini-
mè peſtilētes verè febres
ſuboriri, cum a ſuperna,
cōmuniq; origine haud
prodeant, ſed eas, quas

Hipp. fortassis vocat pē-
phigodes, quales Vene-
tijs est videre quàm plu-
rimas, cum exanthema-
tis fędata cutis apparet.
Græcis qui ex commun
cibi, aut potus vitio cō-
mittuntur morbi, pan-
demij nūcupantur. Hu
pertinet reptilium è la
bulis fugiētum, & inse-
ctorum prouentus. Qu
de re ingeniosus Poeta

Læthiferis calidi spirarunt æst-
bus Austri.
Constat & in fontes vitium v-
nisse, lacusq;
Milliaq; incultos serpētum mu
ta per agros

Errasse,

Erraſſe, atque ſuis fluuios teme-
raſſe venenis.
Strage Canum primò, volucrũq;
auiumq; bouumque,
Inq; feris ſubiti deprẽſa potentia
morbi.

Ferunt hiſtoriæ denſam locuſtarum ſegetẽ ſemper conſecutam fuiſſe peſtẽ, inuadunt enim, & depopulantur aliquã regionem, paullò poſt commoriũtur, hinc aer cõtemeratur. Cornelius Gemma de ingentibus agẽs calamitatibus, quæ in Patria cõtigere, inter prodigia, ac earum præſagia Papilionum commemi-

meminit Papilionũ inquit, ingẽs exercitus rursum apparuit xvj. Kal. Septẽb. qualis alias ijſdẽ anni tẽporibus viſus eſt. Durant hæc animalcula Tinearum inſtar vt plurimũ dies cõtinuos tres, quæ nube dẽſiſſima propè fluminum curſus vecta, hinc ſole occiduo p vicos, & lares ſe ſe diſpergũt, & corruptelam aeris ex anni madore ſignificant. Pręceſſerat copula diuturna Saturni, & Veneris, &c.

Mercu-

Mercurialis peſtis Venetæ, ac Patauinæ ſignũ dediſſe Bruchos per vias, & parietes apparentes ſcripſit. Plutarchus refert Medicos peſtilẽtem æſtatẽ prædicere ex telarum Aranearum multitudine. Milui conſuetũ locum deſerentes ex Aldrouando idem præſagiunt. Aues nidos, oua, pullos deſtituentes, & in alienas regiones ſe ſe recipiẽtes idem. Terręmotus deniq; nõ minorem præbet ſignificationem.

Sæpe etenim tellus grauida cum
ſpirat ab aluo,
Editur infenſus vapor, & trucu-
lenta mephitis.

Præſentis verò duntaxat ſigna ſunt febres vulgo graſſantes, & pleroſque perdentes, etiam ſi aſpectu mites appareāt, & calor tangenti Medico minùs mordax. Vitalis facultas primo inſultu, aut certè paullò poſt exſoluta. Pulſus mira quadā inæqualitate affectus, & cōcitatior ſyſtole. Deliria, vigiliæ, nonnunquam ſomnolentus

torpor.

orpor. Internum incen
liũ, propter quod ægri,
inexhausta torquẽtur si-
i. Anorexia, cibiq; inef
fabilis abominatio. Car
diogmos, syncope. Vri-
næ aliquando sanorum,
nterdum iumentorum
vrinis quàm simillimæ;
Syntexim proprium hu
iusmodi febris sympto-
ma esse scripsit Galenus
Antrax. Bubo, exanthe-
mata; Ecthymata. Hæc
aliquando conueniunt
omnia, sæpe seorsum ali
qua. Pauci conuulsi eua-
dunt,

dunt, pauci, quibus blan-
dus eſt calor, aut aluus li-
quidis fluit excremẽtis.
Reliquum modò fo-
ret, vt ad curationẽ gra-
dum faceremus, at quan-
do eadem genere reme-
dia imminentibus, quæ
præſentibus morbis cõ-
ueniunt, vnam Prophi-
lacticem proſequi con-
ſilium cepimus, eoque
magis, quoniam vt ſani-
tas morbo, ita ars ſeruã-
dæ ſanitatis arte depellẽ-
dorum morborum præ-
ſtãtior eſt, & antiquior:
Acce-

Accedit, efferum illum, & effrenem Cacum, vbi semel inuasit, & aggressus est, vt plurimum eluctari, & supplãtare quẽquis Alexicacum semper nim

Ægrius eijcitur, quã non admittitur hostis.

Expedit itaq; summa prouisionis capita præli pare, quibus arte declinãdi, propellendiq; iuratũ hunc humanæ cericis hostẽ instituamur, instruamurque.

Totius porrò cautionis,

nis, & prouidentiæ circa hoc vertitur cardo, vt nempe agẽtis vis refringatur, & patientis aptitudo summoueatur, cũcta etenim naturæ actio ab agentis idonea efficacitate in patientis capacitatem cadit. Illa quidẽ obtunditur primùm, si aer, quo medio, & instrumẽto vtitur ad agendũ, alienus, & ineptus ad veneficã putredinem concipiendam reddatur.

Quod duplici ratione fieri posse compertũ est,

aut

tut calore ſicco, qui heterogenea diſſoluens homogenea cõgreget, quæ teſte Ariſt. 4. Meteor*ω*n difficiliùs putrere ſcitũ eſt, ac propterea Hippocrates Athenienſibus cõſules publicos ignes circum Pomęria Ciuitatis accendi iuſſit, vt peſtis ſeminaria, quæ aliunde importabantur, protinus abſumerentur: Hoc modo ab Empedocle, & Acrone Agrigẽtinos ſeruatos fuiſſe legimus: Ob quę beneficia Patriæ col

lata

lata æternam laudẽ com
meriti ſunt, atque Coũ
ſenẽ erecto altari Athe-
nienſes in Deorum nu-
merum retulerunt. Aut
denique frigore ſicco,
quo putredinem propul
ſari apud omnes in con-
feſſo eſt. Hac ratione M.
Cato Corcyram a peſte
liberauit, dum Aquiloni
feneſtras recludi, Auſtro
claudi iuſſit. Proin edita
loca Aquilone perflata
eligantur, imò ſi fieri po
teſt, in ſalubre ſolum, &
cœlum ſecedatur, ne fiat
ap-

applicatio, quę ad actionem desideratur. Hipp. fuit summus Medicus, nullũ tamen habuit præsentius remediũ, quàm citò, & longè fugere, tardè redire. Quid, si non licet? Domicilia odoratum rerũ suffitu inficiantur, aspergãtur liquidis suauèolentibus, ligna grati halitus exurantur.

Florum serta manu, & redolentia poma gerantur,
Angelicæq; caput, voluantur & ore corymbi
Iuniperi, Myrtiue, aut hippoglottia fiant.

Arist. & Damascenus

spi-

ſpiritus ab odoribus in-
ſtaurari, ac refici, animú
oblectari, & Facultatum
ſtabiliri firmitudinē te-
ſtantur. ſed nos cuncta
ſub exemplo ponamus
Ad thymiaſim, atq; ſuf
fitum hyberno tempore
vtendum. Styracis cala-
mīthę vnc. ſem. benioin
dram. 2. xiloaloes, caryo
phyll. ana ſcr. 4. calam
aromatici, nucis moſch.
ana drag. 1. ambræ, mo-
ſchi ana gr. 10. rite para-
ta omnia referantur in
paſtillos ſuper prunas in
ijcien-

iciendos. Seu carbonis aligni vnc. iij. Styracis ridæ vn. 2. benioini vn. .cariophyll dr.3. croci inamomi, maceris ana lram. 1. cũ gummi tra- gacanthæ contrita om- nia componantur, effin- ganturq; vel tædæ, vel cypriæ auiculæ.

Auerroes ſuffitũ com mẽdat ex coſto, ſtyrace, galbano, ac teribinthi- na; ac ſi peculiari quadã vi polleant aduerſus pe- ſtem. Aeſtiuo autem tẽ- pore halitus excitari po-

terit ex trochiſcis camphoræ, aut ex ſuccini el. dr. 2. fol. myrti. corticū citrij, fl. nenupharis, roſarum, violarum, croci, maceris, ſandalorum citrinorum ana dr. 1. camphoræ benioini ana dr. ſem. moſchi gr. v. oīa in pollinē redacta poſsunt ex aqua roſacea in paſtillos efformari. Cubiculorum pauimēta oxycrato, aq. roſacea, aceto roſaceo aſpergantur, floresve nīphææ, roſarū, violarū, borraginis, va-
ci-

niorum paſſim effun-
antur, aut ſuſpendan-
ur è filo ſerico. Focus
uouis cęli ſtatu accen-
atur ex lignis iuniperi-
is, cupreſſi, larycis, tæ-
æ, fagi, æſculi.

Diſce & odoratam tectis accendere Cedrum
Galbaneoq; agitare graues nidore Chelydros.

Domus vndiq; niteat, nulla colluuie ſcateat.

Aelurique, canesque procul pellantur, & omnis
Sordities immunda ſcopis verratur, & amne.

Poma verò hoc pacto oncinnentur. Suman-
ur florũ ſcabioſę, aran-
tiorum,

tiorum, citrij ana p. 2. cariophyll. nucis moschatæ, iridis Florentiæ ana dr. 1. ſ. pulu. diābræ, dia moſchi ana dr. ſe. ambra griſeæ. gr. 7. moſchi gr. Fiat puluis, qui puro ladano exceptus cũ aqu cinnamomi referatur in pomum. Seu ſtyracis ar dę vnc. ſe. calami aromatici, benioini roſarũ rubrarũ, maioranæ ſiccæ iridis Florẽtiæ ana dr. 3 macis, caryophyll. agalloci ana dr. 2. ambrę, moſchi ana ſcr. ſe. ladani puriſſimi

issimi quantum ad omnia concorporanda desideratur. Pilo malaxentur calido affusa sensim aqua rosarũ, aut naphthæ, & terebinthinæ momento, vt tenacior massa fiat.

Si mauis, Styracis calamithæ, cort. citrij ana dr. 2. been albi, & rubri, menthę siccę, caryoph., ligni aloes, cardamomi, valerianæ, calami aromatici, myrtillorũ ana dr. 1. santalorum citrinorum, masticheſ, cam-

phoræ dr. 1. ſ. macis, nucis moſchatæ, cinnamomi, ambræ dr ſem. moſchi ſcr. 1. ladani puriſſimi unc. 3. ſ. cũ aqua melliſſophilli. f pomum.

Aeſtate uerò huiuſmodi. Seligantur Carabes dr. 2. corallij rubri, roſarum ana dr. 1. florũ nenupharis dr. 1. ſ. ſtyracis calaminthæ, reſinæ pini ana dr. 1. xiloaloes, maſtiches ana ſcr. 2. boli armeni dr. 1. ſe. ambræ, camphoræ ana gr. 7. ladani quantum deſideratur.

tur. Fiat pomum, quod
peruia pyxide argentea
includi poterit. siue flo-
rum boraginis, rosarū,
viol. nymphee, citrij ana
ʒ. 1. Succini, boli armeni
aceto ros. abluti ana dr.
1. galliæ mosch. dr. 1. San
talorum omnium, masti
ches, xiloaloes, cinnamo
ni, rad. angelicæ odora-
tæ ana scr. 1. camphoræ
scr sem. ambræ, moschi
ana gr. 3. Fiat puluis, &
excipiatur gummi tra-
gacanthæ affusa sensim
rosarum aqua, vt effin-

gatur pomum.

Ex cedro, vel iunipero ſphæricum, & foraminoſum toreuma Phydiæ, aut Polycleti arte confectum mediũ diſcindi iubebat Manardus, abiunctasq; inuicem partes ita cauari, vt de integro cõmiſſæ, coaptataq; imbutam recentem ſpongiolam caperent, inſertisque deinde quibuſdã vncinulis argenteis ita continerẽtur, vt pro libera voluntate claudere, & recludere poſſemus:

mus: ſpongiam aquę roſaceæ, & cretẽſis vini parte imbuit, aceti dimidia, ſubinde ſuperaſpergit puluerem, quo poma cõflari ſcripſimus, & ita madidam in ligneum, & vndiq; terebratum globulum intrudit, manuq; geſtari, & naribus identidem admoueri iubet.

Ora, manusque ſimul roſeo perfuſa liquore
Permadeant gratum naſo ſpirantia odorem.

Veſtes quoque totam ſpirent Arabiam, quas bombycinas, & frequen

ter permutatas velim, non pannoſas, non villoſas, aut pellitas; priùs verò quàm induamur, ex præſcriptis thymiamatibus ſuffiantur. Omnino culta corporis elegantia probatur. Atqui ſat iſthęc inculcauimus.

Reprimitur tandem, & inefficax redditur peſtis, ſi corporum noſtrorum rectrices facultates aduerſus hoſtem muniãtur, roborenturq; peculiaribus alexiterijs, qualia ab omnibus cõmen-

dantur

dantur Theriaca, & Mithridatiũ, vt propterea iure ſcripſerit Moſes Ægyptius narratum ſibi a Medico doctiſſimo, dũ in Antiochia graſſante peſte Medicinā faceret, neminē præter illos, qui theriaca vſi fuiſſent, ſeruatum eſſe, hæc enim, vt Aphrodiſæus quoq; primariæ notæ philoſophus putauit, ideo venenatos morbos diffrĩgit, profligat, & propellit, quòd ex reſpicientibus ſingulas corporis parti-

culas ſimplicibus conflatur. Et ſi aliter ſenſit Auic. qui refert, Sapientes Theriacæ, & Mithridatij cõpoſitionis cauſam acceptam ferre diuinæ inſpirationi potiùs, & prouidentiæ, quàm humano ingenio, quia humana ratio ad illius cõpoſitionis efficaciam non pertingit. Optima verò Theriaca ſeptennis eſto. Huc accedunt Bolus armenus, & Terra ſigillata, quorum vſu omnes ſeruari obſeruauit
anti-

antiquitas. Galenus pestilentia affectos, quibus sumptus est Bolus armenus, curatos testatur, q̃bus verò hoc medicamẽtum nõ profuit, nullum præterea medicamentũ profuisse.

Fertur senior Mediolani Dux quotidie bolũ armenum vnà cum Cretico uino aqua rosacea diluto hausisse, & a singulis domesticis priùs, quàm ad se accederent idem sedulò præstari iussisse, quo modo sibi be-

nè cauit, peſtéq; eluſit.

At ne emptoribus imponatur, & pro genuino fucoſus, & fabrefactus ſufficiatur, his notis probato. Bolus armenus palleſcat vt aurum; facilè ſoluatur, nullã includat ſaburram, modicè denſus, & grauis ſit, vt lapis propemodum videatur. Terra ſigillata ſit rubri coloris, mũda; haud admodum lenis; guſtui nequaquam mordax, moderatè autẽ adſtringẽs, tenax quadãte-

nus, & lubrica, vt ĩ aquæ soluta molli fiat adsimilis ceræ. Lapis Bezoar, cornu Monocerotis, & ceruinum, vniones, præsertim smaragdus inter præcipua alexipharmaca censentur, hæc enim præter quàm quòd aper[t]a qualitate putredinem arcent, & expugnãt, spiritualem obtinent antipathiam formæ sobolẽ. Vtrũq; prȩterea Diamargaritum, electarium de Gemmis, Trochisci de Cãphora, Manus Chri-

ſti plata, Cõfectio Hyacinthi, & Alkermes, Lætificans Galeni huc ſpectant: Scordium commẽdat Fracaſtorius, huius Diaſcordiũ Sennertus. Alij extollunt antidotũ in Sãctuario Mitridatis repertam, cuius compoſitionẽ his verſibus pepigit Serenus.

Bis denum rutæ folium, ſalis & breue granum,
Iuglandesq. duas, bino cum corpore ficus,
Exoriente die pauco conſperſa Lyæo,
Sumebat metuens, dederat quæ pocula Mater.

Sunt

Sunt tamen, qui huic minus tribuãt, nam etſi caricæ, & iuglandes obſtructa liberant, ruta, & ſal a putredine vindicãt, præcipua tamẽ facultate deſtitui vidẽtur. Quoddam meminit electariũ Sauonarola, quo ſe vulgo admirabilẽ præſtitit Iudæus quidam. Habet aũt cinnamomi unc. ſe. zedoariæ drach. ij. boli armeni drac. vj. ſeminis citrij, ſem. acetoſæ ana drac. iij. rad. dictami, tormentillæ, raſuræ eboris

ana

ana dr. j. ſ. oſſis de corde cerui dr. j. fragmẽtorũ ſmaragdi, rubini, granati, ſaphyri ana ſcr. j. Cuncta in pollinẽ redigantur, & cõmiſceantur cum cõſerua bugloſſi, & concinnetur elect. cuius hyberno tempore dẽtur dr. ij. æſtiuo dr j. ſ. ſubinde propinentur aquæ cichorij unc. i j. In libro ſimpl. Gal commeminit propriæ vrinæ, quã a quibuſdã hauriri maximo cũ emolumẽto notauit. in li. de Incãt. Gal. adſcri

pto,

pto, quemcumq; pestiferam regionem ingredienté a gestato hyacintho seruari, & apud Summates gratiosum reddi traditur. Adamas sinistro vinctus brachio, betonica quouis modo circũlata, lapis Achates, lapis Chelidonius niger, Carbunculus idem præstare feruntur.

Arrhenicum verò sacculo inclusum, & ad cordis regionem adhibitũ, quãuis summi viri illud efferant præconio, proba-

bare non auſim, etenim
niſi carnem attingat, v
illius ſepulta vis a calore
noſtro excitari poſſit, ni
hil operabitur, ſin attin
gat vehementiùs veren-
dū, ne, quæ a peſte refor-
midabamus accidura ma
la, arrhenicū inauſpicatè
īferat. Narrat Valeſcus,
ſe nouiſſe duos, quibus
caput ſcatebat achorib⁹,
qui Gordonij vnguēto,
qđ ex arrhenico &c. cō-
ſtat, caput obleuere, quo
rū alter poſtridie è viuis
deceſſit, alter tota reli-
qua

qua vita ſtupidus remā-
ſit. Nō abſimilem hiſto-
riam refert Amatus Lu-
ſitanus duorū Adoleſcē-
tum, quibus ad ſcabiem
tollendā vſis vnguento,
in quod clā Medico Se-
plaſiarius arrhenicū in-
truſerat, res peſſimè ceſ-
ſit, vnus enim diē obiit
ſuam, alter furore corre-
ptus ſaltu per feneſtras ī
terram exiliens alterum
ſibi crus fregit, miſerāq;
vitā viuere deinceps coa-
ctus fuit. Satiùs ſit igitur
ea adhibere remedia,
quo-

quorum maiores experimenta tulerũt Oleo igitur M.D. Hetrurię, oleo scorpionum Matthioli, Theriaca, & Mitridatio addito citrij succo cordis regio deliniatur. Sũt qui iecur quoq; stomachum, & testes oblinũt vt robur concilient, hoc vng. quod cõstat ex oleo rosac., omphacii unc. ij. ol. de spica odori unc. se. pulueris cinnamomi, caryophil. ana dr. ſ. rosarum, sandalorũ citrinorũ ana dr. j. ceræ, & aceti

oſac. q. ſuff. ut fiat vng.
nolle. Si diſpliceāt litus,
ōcinnentur ſacelli, ſeu
narſupia cardiacis pul-
eribus intertexta. ℞. bu
loſſi fl. arantiorũ, ſca-
io. ana p. j. pulueris diã-
rę dr. ij pulu. iridis Flo
entiæ ſcr. ij Puluis ex-
ipiatur cotone & inuol
atur ſyndone duplici,
nterſuatur vt decet, &
ũ zonis applicetur cor-
i. Æſtate vero: fl. borra-
inis, viol. roſ. nymphęę
na p. j. ſantal. diamarga
iti frig. ana dr. j caphu

ræ ana ſcrup.j. ſ. ambar
oriẽtalis g.v. qui puluis
itidem ſacculo interclu
datur cordi admouẽdo
Mitto ſexcẽtas alias an
tidotos, quas apud Au
thores cernere eſt, præ
puè verò apud doctiſſi
mũ Hollerium, quarum
fuſiſſimè trahitur mate
ria, è qua vnam decerp
hìc adſcribendam.

Cucumeris ſilueſtris r
dix in mortario teratu
cum folijs tenerioribu
ſemperuiui, apii, coria
dri, mel additur, & pul
uis

s cinnamomi, aut pipe
s grana ix. Omnia mix
ſtanneo vaſe ſeruātur.
teris (ait) ieiunus ca-
aneæ magnitudine ex
ino tenui diluto aqua
nuenienti, vt oxalidis.
oteris cū lue correptis
erſari, aut iā correptus
atim ſaneſces. Ea ratio
e conuenit hoc electa-
iū, quòd uſu frequenti,
eroſi, ichoroſiq; humo
es foras excludūtur, qui
ad putredinē ſuſcipiē
iam opportunius nihil.
Corporis deniq; diſpo-
ſitio-

ſitiones medicamẽtis, &
recta uictus, & uitę ratio
ne tolluntur, quocirca
Platonicæ ſententiæ ap
plaudẽtes priùs, quã cor
poris purgationẽ aggre
diamur, aĩo proſpectum
uolum⁹, ut, ſi fortè ęgro
tat, & graui pathemate
afficitur, opprimiturq;
erigamus, & in priſtinã
ſanitatem, libertatemq;
aſſeramus: Quòd ſi oĩnò
circumcidi non poſſunt
affectus, his ſaltem ratio
nis formula modũ impo
namus, ne ferociùs exor
bitent,

itét, vix.n fieri poteſt,
t nos mollioris naturæ
ueros Stoicos agamus,
irtutẽ, & animi ſanitatẽ
n apathia quærẽtes. Præ
mnibus verò vt corã de
oto Parocho ſacroſan-
tę cõfeſſionis ſacramen
o mentem vnuſquiſque
iet, & radicitus ab om-
ib. purget quisquilijs,
x aĩo hortamur Enim-
erò ſi oculus tuus (dicẽ-
e Chriſto) .i. anima tua
mplex fuerit, totũ cor-
us lucidum erit, & mũ-
um.

Quisquis agit purus ſceleris vitam
inter iniquos,
Nulla ab inhumano morbi contagia ducit
Hoſpite.

Animi porrò alacritudo, & hilaritas cãtu maximè & muſica cõciliata tãti ſemper a Thalete habita fuit, vt hac ratione ſola peſtẽ fugari aſſeuerauerit. Expurgato animo corporis curã geramus, oportet, quare omni ſtudio illud ab excremẽtis, & ſuperuacuis humiditatib. vindicemus, perſiccemus, ſiccũ enim

ceste Hippo. similius est sano. Cacochymia leui cathartico sũmoueatur. Plethora, si subsit, exhauriatur, sed parciore manu. Doctè .n. Haly habẽtes corporis humores laudabiles aeris malitiã corrigunt. Hinc ab Authoribus pill. Ruffi, quæ ex aloe, myrrha, & croco cõstant, queis aliquãdo bol. armenum, terrã sigillatam, ammoniacũ adijcimus, vsus commẽdatur, hæ nanque pręter quam quòd educunt ex-

crementa quę quotidia-
na generatione cumulā-
tur, corpus reficcāt, atq;
adeò fufcipiendæ putre-
dini inhabile reddunt.
Huc referuntur cauteria
brachijs, aut femoribus
inufta, per quæ ferofi hu-
mores repurgantur.

Quis verò iure expo-
ftulabit, & querimoniā
aget, nifi tot Antidotis
vtēdi modus fub exem-
plo, veluti fchemate fu-
bijciatur, Paucis igitur
capiat. Sanguis, fi fubfit
copia, quàm mox è bafy-
lica

ica dextra mittatur, par
è tamẽ, vt ad ſelibram,
re vnà cum ſanguine vi-
es exhauriãtur, quas cõ
tare volumus: Hæmor-
hoides aſſuetis, ſi ſubſti
erint, admotis hirudi-
nibus citentur. Brachijs,
i imbecille ſit caput, a-
ioquin femoribus cau-
eria inurantur, dextro
potiſſimum, nõ ante ta-
nen, quàm toti proſpe-
ctũ fuerit. Poſtridie eius
diei, qua tunſa fuerit ve-
na, oxymel. ſimpl. vnc. j.
ſyr. de cort. citri vn. ſem.
 (ſi

(si modò rigeat cælum, & hominis frigidior natura) D. betonicę & sem citrij vnc. 3. mane sumātur, alioquin tantūdem syr acetosi, & acetositatis citrij, & D. oxalidis & sōchi. Perseueret tres dies. Quarta die syr. rosſ sol. vnc. 3. & tantundem D. Cardiaci infusioni scrup. 4. rhei, aut agar troch. cū scr. 1. spicæ, au zyngib. Quinta die opt Theriacæ dr. j. cum cōs bor. dr. 3. Sexta die boli arm. aut sigilli lemni
opt.

opt. præpar. ſcr. 2. ex bono vino cum aq. rof. aut ſcorzo neræ diluto exhauriantur. Septima die Iudæi elect. dr. 2. & aq. cichorii vnc. 2. Octaua die verbena præmandatur, dein deuoretur, aut ſemina citrii, rad. tormentillæ, zedoariæ: Nona die grana aliquot electę ſmaragdi, vtpote g. 7. aut totidem C. Monocerotis. Decima die pill. Ruffi dr. 1. ex Cretico vino, ſi hyems, aut ex aq. oxalidis, & trifolii acetoſi.

Exactis diebus decẽ, vt dierum, ita antidotorũ repetitio fiat, nullaq; intercedat dies, quin aliquid dictorum deuoratũ sit. Illud animaduerti velim, vt multo ante prandium tẽpore alexipharmaca sumãtur, ne alimẽtorum accessu illorum frangantur vires. Cętera ex præscripto fiant. Superest, vt diætã percurramus. Cibi euchymi, & eupepti sint. Proinde carnes Perdicum, Phasianorum, Auicularũ, Gallina-

rum, turturũ hœdi, veruecis, leporis, vituli commẽdãtur. Scribit Orus, eſum columbarũ vi quadã peculiari a peſte præſeruare. Piſces fluuiales, paruuli minùs improbãtur; ouis vtẽdum tremulis, & ſorbilibus. Frequẽs pinguiũ, ac iurulentorũ vſus cauendus. Herbæ conueniunt lactuca, endiuia cichorium, portulaca, oxalis, betonica, pĩpinella, fœniculum, apium, borrago, meliſſa. Alliũ, ſi parcè ſumatur,

non est nullius momẽti. Lentes, & hordea aceto condita concedũtur. Ex fructibus, nuces, auellanæ, ficus, passulæ, pini fruc. phistici, amygdala, p̃sertim amara, mala vel pyra acida, mala punica, citrea, arãtia, limones, cappares, pruna sicca, cerasa acida. Piperis, & zyngiberis vsus nõ cõuenit: pro his alimoniæ hoc puluere condiãtur, qui constat ex cinnamomi drach. 6. cardamomi anys. ana dr. 2. rosarum

ma-

maceros ana ſcr. 4. croci drac. 1. m. Aſſa elixis, ſi facilè conficiantur, conueniẽtiora ſunt; lac niſi acidum in Garamantes, & Indos mittatur.

Porrò eſculentis omnibus acida intermiſceãtur, vtpote acetum, omphacium, limonũ, citri, arãtiorũ, granatorũ ſuccus. Iuſculis oxalis, & alleluia æſtate, hyeme, betonica, ſaluia, apium incoquantur. Vinum mediocre ſubauſterum cõmendatur, dilui poterit

aliqua cardiaca aqua.

Meſuæus ante omnia manus & ora vino ablui, nares oblini, & modicum ebibi iubet, animã enim ait, exhilarat, & cõfirmat, vt propellat aduerſa. Propterea me in admirationẽ egit Auic., qui peſtis Prophilacticẽ tradẽs, vino penitus nobis interdicit: ſed cõdonemus hoc Auic. vtpote Sarraceno. Diuus Ambroſius ſcripſit, vinum ſobriè ſumptum ſanitatẽ largiri, & augere pruden-

dentiam. Sunt, quibus arridet vinum abſynthites, ſunt quib. ceſtrites. Exercitium verò admodum cõducit, ſi citra reſpirationis noxam, & incommodum fiat (nõ. n. refert peſtilenti in aere confertim, & affatim reſpirationem ducere) propterea ſcripſit Rhaſis, omnes è medio ſublatos fuiſſe præter venationi aſſuetos, qui corpora ſtrenuè exercuerant. Satius ſit, ſi prãſi domo exeamus, cum D. Lauri

fol. naribus attraxerimus & aures ol. ſpicato obleuerimus. Laudamus frictiones artuũ leues. Sed illos deridemus, qui cautelæ ſtudio aceto totum corpus madefaciunt, ut peſtilenti aeri uiam præcludant, deridemus inquá, quoniam tranſpiratione prohibita faciliùs, id, quod tanto reformidant opere, incurrere poſſunt. Si lubet igitur oleo ſpicato adiecta uini quarta parte corpus linatur.

Somnus diurnus, clamor, concubitus quàm fieri poteſt maximè declinētur. Cæterùm ut rē ad umbilicum adducā, quemadmodum ſua eſt cuiq; temperies, & natura, ita non quilibet uno eodemque calapodio, ut paræmia fertur, calceandus eſt, ſed pro uſu, & Medici prudentia omnia temperanda, nam & ſi Gal. ſcripſit, ea quę proprietate iuuant, omnibus temperaturis, & omni tempore prodeſ-

ſe,

ſe magis profutura ſperãdum eſt, ſi accedat delectus.

Atq; hęc pro inſtituti noſtri ratione ſatis ſint.

FINIS.

Anonymi Diſtichon.

Arcum peſtiferum tendat ſi iratus Apollo,
Nos facit immunes Stephanus arte ſua.

Admodum Reuerendi Andr. Blanci.

Infeſtent morbi licèt, & contagia corpuS
Ominibus benè reſpondentibus ipſe leuabiT
Artis Apollineæ cultor celeberrimus, atquE
Nuſquam non laudandus. Hic auſpicis (inſtar IoſePH
Non nil Paganæ linguæ perterritus atrA
Et fractus rabie colliſũ ad naufraga nomeN
Saxa feret, ſurget poſtremũ ad ſydera uectVS.

Errata	*ſic corrigito*
pag.	
22 cauſam	cauſá
28 conſenſit	conſentit
31 puteſcere	putreſcere
43 aut	autem
63 conſules	conſulens
64 dram.	drach.
68 arag.	drach.
69 teribinthina	Terebinthina

